



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

17. An reus confugiens ad Palatium Episcopi, quod non sit intra confines,  
& quadraginta passus, sed longè ab Ecclesia distet, gaudeat Immunitase?  
Et quid si in illo non adsit Oatorium, in quo Diuinum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

tionem. Respondeo quod non valet consequentia: Ergo eius Palatium non potest gaudere privilegio immunitatis. Nam Cardinales extra Ecclesias Titulares non possunt exercere iurisdictionem, & tamen eorum Palatia, ubique ipsi existant, ut dictum est supra \*, fruuntur immunitate. Vtrisque enim hoc privilegium concessum fuit propter eorum dignitatem, quam ubique commorantes representant. Ergo, &c.

11. Dicendum est itaque Palatia Episcoporum Titularium, vel extra Diocesim existentium gaudere immunitate. Est notandum, quod cum ipsi in tali casu non habeant Tribunal, neque iurisdictionem in actu, ad Ordinarios Ecclesiasticos, in quorum Diocesi existunt, controuersias circa hæc privilegia adducendas esse: & dicti Episcopi Diocesani iudicabunt de delictis familie dactorum Episcoporum Titularium, & extra Diocesim commorantium, & de reis in eorum domos confugientibus. Verum his non obstantibus hæc omnia disputationis causa esse volo. Vnde illa Sacra Congregationis immunitatis oraculo humiliter maturanda relinquo.

RESOL. XVII.

An reus confugiens ad Palatium Episcopi, quod non sit intra confines, & quadraginta passus, sed longe ab Ecclesia distet, gaudeat Immunitate?

Et quid, si in illo non adsit Oratorium, in quo Diuinum celebratur Sacrificium?

Et notatur, quod hæc immunitas extenditur à las casas de algunos Embaxadores de la Corte. Ex part. 1. tract. 1. Resol. 27.

Sup. hoc in Ref. præteriti § Secundo privilegium, & in Ref. seq. signan- ter in § Tertio, quia, & in Ref. 20. §. 1. de supra in Ref. ex consequentia doctrinae §. 1. & 2.

§. 1. Negatiuè respondet Bobadill. in *Politi. to. 1. lib. 2. c. 14. n. 8.* qui in *gloss. lit. C. ex Coartuaria lib. 2. var. c. 20. n. 5.* testatur de communi praxi & idem docet Ambrosin. de *immunit. c. 10. n. 7.* & maxime non procederet, si in tali Palatio non adesset Oratorium, in quo diuinum celebratur Sacrificium, Et nouissime docet hanc sententiam Martinus Bonacina de *leg. disp. 3. q. 7. §. 2. num. 8.* & Piafeci in *praxi Episc. part. 2. cap. 4. art. 8. n. 2.*

2. Sed contrariam opinionem amplexi sunt non ignobiles Authores, & inter illos noster P. Peregrinus tract. de *immunit. cap. 4. num. 69.* ubi citat plures DD. quibus ego addo Megalam in *2. p. lib. 4. cap. 2. quest. 1. num. 36.* Franc. Leon. in *thesaur. fori eccles. p. 1. cap. 13. num. 14.* Gambacur. de *immunit. libro 4. cap. 3. num. 7.* Azorium part. 2. lib. 9. cap. 8. quest. 5. Marium Italiam tractat. de *immunit. lib. 1. cap. 4. §. 9. num. 1. & seq.* Anastasium Germonium de *immunit. sac. templ. lib. 3. cap. 16. num. 45. & seq.* Ciurb. *conf. 10. num. 13.* & alios. Et ratio est: quia hæc immunitas concessa est ratione dignitatis personæ episcopalis, propter sanctitatem muneris, & dignitatis: sicut tota familia Episcopi, licet laica, gaudet intuitu eius privilegio fori. Itaque dicendum absolute, Palatium Episcopi, siue cum Capella, siue sine Capella, siue intra quadraginta passus, siue extra, gaudere ea immunitate, qua gaudet sponsa eius, Ecclesiarum: unde Doctores contrarium sentientes non sunt audiendi; quia, cum causa immunitatis sit favorabilis, non solum delinquenti, sed etiam Ecclesie, minime restringenda erit, sed potius amplianda: & licet res dubia sit, sciunt iam omnes, quod in dubiis pro reo, & pro Ecclesia standum sit, per ea, quæ pulchre notat Riccius in *Praxi. p. 2. resol. 42. num. 2.* Igitur nostra sententia omnino tenenda erit, & in praxi obseruanda. Notandum est etiam, quod Villadiego in *Tom. IX.*

*Politi. cap. 3. num. 201.* extendit hæc immunitatem à las casas de algunos Ambaxadores de la Corte.

RESOL. XVIII.

An Palatia Episcopi ultra quadraginta passus ab Ecclesia distantia gaudeant immunitate, si non habeant Oratorium, in quo Missa celebratur?

Et an hæc Immunitas extendatur ad Palatia Episcopi, ipso mortuo, vel absente, dummodo non fuissent alteri locata? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 96.

§. 1. Pro negatiua sententia in *p. 1. tract. 1. resol. 27.* \* Quæ hic adduxi aliquos, quibus nunc addo Ambrosinum de *immunit. Eccles. cap. 10. n. 7.* & nouissime Elifæum Danza in *pugna Doctorum cap. 2. de immunit. Eccles. num. 1.* ubi sic ait: Cauti debent esse Episcopi, qui in eorum palatio Episcopali ultra quadraginta passus ab Ecclesia habent Oratorium, siue Capellam, in qua Missa celebratur, hoc enim casu huiusmodi palatium Ecclesie immunitate gaudet, ita, ut ad illud confugientes tuti sint. Ita ille.

2. Sed non esse descendendum à sententia affirmatiua ubi supra ego docui cum multis Doctoribus, & nunc iterum doceo cum Ludouico Correa in *relect. de immunit. Eccles. part. 2. quest. 8. n. 19.* Belletto in *disquis. Cleric. part. 1. tit. de favore Clericorum reali. §. 4. 2. num. 35.* Alzedo in *praxi Episc. part. 2. cap. 2. n. 77.* Gaetano in *enchir. Episc. ver. immunitas Ecclesiastica, tum...* & me citato, tenet etiam hanc sententiam Io. Domin. Tassonus in *pragmat. de Anisato, ver. 13. obser. 3. num. 31.* & ratio est clara, quia iura & canones indistinctè domui Episcopi immunitatem concedunt, ergo non est restringenda ad palatia Oratoriū habentia, quæ omnia Antonius Nouatius in *summa Bullarum, tit. de immunitate Eccles. nu. 10.* & alij, extendunt ad palatia Episcopi, etiam ipso mortuo, \* vel absente, dummodo non fuissent alteri locata.

\* Sup. his etiam cursum in Ref. seq. in fine §. Tertio quia & in aliis eius not.

RESOL. XIX.

An palatia Episcoporum gaudeant Ecclesia immunitate?

Et quid dicendum, si Palatium Episcopi non habeat Oratorium pro celebratione Missæ?

Et an hoc privilegio gaudeant Palatia Episcopi, etiam si Episcopus sit absens, vel mortuus?

Et an domus Episcopi, quando in Visitatione per suam Diocesim transcurrit, gaudeat hac Immunitate? Ex part. 6. tract. 4. Ref. 4.

§. 1. Pro negatiua sententiam tenet Sarpus in *cap. 4. fol. 41.* ubi ita asserit: Quod verò atinet ad Episcopi domum, non conueniunt inter se Doctores: multi namque ex eorum numero animaduertunt alio Canone statutum esse, ut Episcopus domum suam Ecclesie proximam & adhaerentem habeat: quare necessario intra quadraginta passuum spatium esse debet. Et pro certo constituunt, Episcopi domum, si longius ab Ecclesia distat, nullam omnino immunitatem obtinere: cum verò quadraginta passuum spatium in ciuitatibus & Castris non habeat locum; consequens est, ut Episcopi domus nullam pariter immunitatem habere possit. Ita ille.

2. Sed hæc opinio est contra Sacros Canones: nam in *cap. id constituimus 17. quest. 4.* aperte dicitur, quod ab Ecclesie atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat: & hic Canon fuit desumptus ex Concilio Aurelianensi sub Hormisda Papa celebrato